UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ Theologiæ summa continetur

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod fornicariam nequit dimittere vir, nisi ipse expers fuerit fornicationis & è conuerso. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Visual Library

dimittere, & è cõuerſo: ſed debet alter alteri ſubſidia prouidere. Vnde Aug. Si vxorem quis habeat ſterilem, ſiue deformem corpore, vel debilem membris, vel cæcam, vel claudam, vel ſurdam, vel ſi quid aliud, ſiue morbis, vel laboribus doloribuſue confectam, & quidquid, excepta fornicatione, excogitari poteſt vehementer horribile: pro ſocietate fideq; ſuſtineat.

Aug in li. 1. de ſerm. Domini in mõte, to. 4.

EODEM IVRE VTITVR VIR ET MVLIER.

DISTINCT. XXXV. A

HOc etiam notandum eſt, quod Dominus concedat vxorem dimitti cauſa fornicationis viro, eadẽ licentia non tollitur fœminis. Vnde Hiero. Præcepit Dominus vxorem non dimitti, excepta cauſa fornicationis: & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris præcipitur, hoc conſequenter redundat ad fœminas. Non enim adultera vxor dimittenda eſt & vir mœchus tenẽdus. Item apud nos, quod non licet fœminis, æquè non licet viris: & eadem ſeruitus pari conditione cenſetur. Ex his oſtenditur, quod mulier poteſt ſuper fornicatione virum conuenire, vt vir mulierem. Vnde Innocent. Papa. Chriſtiana religio adulterium in vtroq; ſexu pari ratione condemnat: ſed viros ſuos mulieres non facilè de adulterio accuſant, viri autem liberius vxores ſuas adulteras apud ſacerdotes deferre cõſueuerunt. Et ideo mulieribus prodito earum crimine, negatur communio: virorum autem latente commiſſo, non facilè quiſquam ex ſuſpicionibus arcetur: qui tamen ſubmouebitur, ſi eius flagitium detegatur.

Matth. 19. A
Hieron. de morte Fabiolæ ad Ocean. to. 1.
Ibidem.
Innoc. Pap. 1. epi. 3 Exuperio.

Quod fornicariam nequit dimittere vir, niſi ipſe expers fuerit & è conuerſo. B

Si vero quæritur, An adulter adulterã poſsit dimittere cauſa fornicationis? Dicim[9] q̃a neq̃ adultera vxor dimitti à viro, niſi & ipſe expers fornicationis exiſtat, & è cõuerſo. Vnde Aug. Nihil iniquius

Lib. 1. de ſer. in monte. Matth. 5. tom. 4.

quiꝰ eſt, quã cauſa fornicationis dimittere vxorẽ, ſi & ipſe cõuincitur fornicari. Occurrit n. illud, in quo alterum iudicas, teipſum condẽnes. Quapropter ꝗſquis fornicationis cauſa vult abiicere vxorẽ, prior debet eſſe fornicatione purgatꝰ. ꝙ ſimiliter & de fœmina dixerũt. Idẽ indignãtur mariti, ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris fœminis pœnas, cum tãto grauiꝰ eos punire oportuerit: quãto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exẽplo regere fœminas. Ex his apparet, ꝙ adulter adulterã dimittere nõ valet, & è cõuerſo.

Rom. 2. a
In lib. 2. de adulterinis coniugijs, cap. 8. to. 6.

Quod poſſunt reconciliari, qui ſeparantur cauſa fornicationis. C

Si quis à fornicationis expers fornicariã dimiſerit, alii copulari nõ poteſt, ſed cõtinere oportet, vel ad dimiſſam redire: ſic & de fœmina. Vnde & Apoſt. His qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego ſed Dñs, vxorem à viro nõ diſcedere; ꝙ ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut viro ſuo recõcilietur. Et de viro addit. Et vir vxorem non dimittat. Sed Amb. ait, Ideo nõ ſubdit de viro, ſicut de muliere: quia licet viro aliã ducere. Sed hoc à falſariis Ambr. libro poſitum creditur: ſupplendum n. eſſe in viro, quod de vxore præmiſit apertè dicit Aug. ſic. Quare nõ addit de viro, ꝙ pręmiſit de muliere, niſi quod ſimilẽ formam vult intelligi? vt ſi dimiſerit, ꝙ cauſa fornicationis permittitur, maneat ſine vxore, aut reconcilietur vxori. Idẽ, Si nec nubere illi conceditur, viuo viro à quo receſsit, nec huic alterã ducere viua vxore quã dimiſit: multominus fas eſt illicita cum quibuslibet ſtupra committere. Idem, Vt non facilè dimittatur vxor, Dñs ſolã fornicationis cauſam excepit: cæteras vero vniuerſas moleſtias, ſi quę extiterint, iubet pro fide cõiugali & pro caſtitate fortiter ſuſtineri: & mœchũ dixit, qui à viro ſolutã duxit. Ex his oſtẽdit, quod ſi cauſa fornicationis ſit ſeparatio, non poteſt

1. Cor. 7. b
Matth. 16. a
Ambr. ad illud, Et vir vxorem nõ.
Aug. li. 1. de ſer. Dom. in monte to. 4.
Matth. 22.